



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 13. Actum de pace inter Hispaniam, Angliam, & Franciam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

„eorum, quæ ille, vel sibi, vel suis petet, Sæcul.XVI.  
 „honeste recusare valeam. „ Hoc re-  
 sponso delusus Guisius haud ultra insti-  
 tit, eo potissimum nomine, quod resci-  
 visset, Valentinam Ducissam, quæ quan-  
 tumvis senio gravis, magna tamen ad-  
 huc gratia apud Henricum valebat, de  
 insolentiori Cardinalis arrogantia apud  
 Regem conquestam esse.

A.C.1558.

## §. XIII.

*Actum de pace inter Hispaniam, An-*  
*gliam, & Franciam.*

Jam a longo tempore de pace Hispa-  
 nos inter, & Anglos, ac Gallos con- *Be'car.*  
 cilianda agebatur, & præprimis Valen- *Thuan. I. c.*  
 tina Ducissa Guisiis infensa, cum liber- *Popelinier.*  
*I. 5.*  
 tatem Connestabili Montmorentio pro-  
 curare percuperet, Regi exponebat, quod  
 præter Montmorentium, quem Philip-  
 pus Rex captum detineret, nemo alias ad  
 pacis negotium cum Hispanis maturan-  
 dum magis idoneus esset. Annuit Rex,  
 unde Connestabilis hanc provinciam  
 non sine magna animi sui lætitia in se  
 suscepit, ac præprimis amicitiam Sa-  
 baudi Duci sibi conciliare satagebat,  
 qui haud obscure intelligebat, quod di-  
 tioniis suæ recuperandæ nulla sibi su-  
 pereffet spes, nisi prius conciliato utro-  
 que Rege. Ergo ambo rem apud Phi-  
 lippum tanto fervore urgent, ut is pa-

B 3

cis

**Sæcul. XVI.**  
A.C. 1558.

cis colloquium haberi tandem consenseret, moxque ipsummet Connestabilem ad Henricum II. decerneret, eo fine, ut hunc regem pariter ad hoc colloquium incitaret. Henricus, qui tum in suis castris ad Sommam agebat, Montmorentium maximis honorum signis exceptit, quin imo eidem obviam procedens in ejus amplexus ruit, atque ipsum etiam suo lecto insidere fecit, quæ benevolentia certe Guisiis Principibus permolesta acciderat. Ceterum nonnisi de feligendo colloquii loco agebatur, ac præ ceteris ad inchoandas consultationes magis opportuna censebatur Abbatia Cercampensis, quæ in Arthesiæ comitatu sita haud procul ab Hedena urbe distabat. Eo igitur Mense Octobri ad medium vergente Legati utrinque magno numero convenere.

#### §. XIV.

#### *Cercampensis congressus pro pace restauranda.*

**I**taque Cercampum veniunt Regis nomine Cardinalis Lotharingius, Connestabilis Annas Montmorentius, Jacobus Albo Santandreas. Marcellus, Joannes Morvillerius Episcopus Aurelianensis, & Claudius Albaspinæus a secretioribus epistolis: Nomine autem Philippi